



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 43. Sessio III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI fio tertia ad decimam quartam Novem-
A.C. 1511. bris diem indicebatur.

§. XLIII.

Sessio III.

Ast Feria secunda, die nona ejusdem mensis Patres in ædibus Albreti Cardinalis congregati sanxerunt, maxime expedire, ut Sessiones maturarentur, cum adeo urgentes obversarentur rationes, ut omnino tertiam Sessionem aliquot diebus ante præstitutum terminum celebrari oporteret. Unde ea ad proximam feriam quartam indicebatur; neve ignorantia a quovis obtendi posset, Congregatorum definitio Ecclesiæ Cathedralis valvis affigebatur. Hac autem die Decreta prælegebantur, quorum primo sancitum, Synodum dissolvi non posse, usquedum Ecclesia tam in capite, quam in membris esset emendata, hæresesque, ac schismata succrescentia fuissent extincta, ac bella penitus sopita: Concesserunt tamen, Synodum in tutum quemdam locum transferri posse, si hac super re communi cum Pontifice consilio quicquam decerni valeat, nihilominus urbs Romana semper excepta esset. In secundo Decreto innovata fuisse statuta quintæ Sessionis Constantiensis Synodi de auctoritate Conciliorum Generalium, ac definitum. I. Cum Concilium
legi-

legitime congregatum a solo Christo Domino suam auctoritatem derivet, hinc omnes cujuscunque conditionis essent, etsi dignitate Papali fulgerent, eidem obtemperare teneantur in rebus, quæ fidem, schismatum extirpationem, ac reformationem Ecclesiæ concernunt. II. Omnes personæ cujuscunque status ac conditionis, etiamsi Papalis existant, si ejusmodi Synodi Constitutionibus, ac Decretis circa præfata tria capita, aliasque materias connexas sese submittere, pertinaciter detrectaverint, pro ratione culpæ puniantur, nisi forte resipiscant, si vero necessitas suaderet, ad alias quoque juris vias recurrendum; cumque in secunda Pisani Concilii Sessione statutum fuisset, quod nullus Prælatus, Doctor, aut alius quiscunque Synodo nondum absoluta discedere posset, nisi legitima ex causa a Deputatis discutienda, ideo hanc in rem quatuor Cardinales, duo Archiepiscopi, ac quatuor Episcopi nominabantur, qui velut Judices, ac Commissarii allegatas discedendi rationes ponderarent, veniamque abeundi concederent, ita tamen, ut duo inter quatuor nominatos Cardinales, aut inter Prælatos saltem sex consentirent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1511.